

ubi voces aliæ sunt *significativæ*, quæ vocantur Categoremata, ut, homo, currit, aliæ *consignificativæ*, quæ dicuntur Syncategoremata, ut, omnis, nullis &c. de qua divisione Logicæ parte tertia quæst. 37. & sq. plenius egi. Si autem *significativæ* voci substantiam, *consignificativæ* accidens simile cogites, claram utriusque ideam habebis.

EXERCITATIO XLIII.

An accidentia sint res sive aliquid reale.

1. **C**Um plures sint *rei & realis* significationes, hoc loco quatuor præcipuè videntur nobis distinguendæ, ut, quomodo accidentia res sint, quomodo non sint, eò clariùs perspiciamus.

2. Res primò sumitur latissimè pro omni *cogitabili*, nam quicquid sub cogitationem nostram cadit, sive verum sive fictum, sive possibile sive impossibile sive actuale sit, interdum rei nomine appellatur. Nec dubitatur, quin Accidens hoc significatu latissimo res dici queat.

3. Secundò res accipitur minùs latè pro omni eo quod est *aliquid*, non nihil, & sic reale ens opponitur enti rationis, realis distinctio